hac in te ô virgo magnificentiſſima; in te ſimul omnia, inuenta ſunt, ſed tamen ab Affectu creato, quia tanta ſunt quae adhuc inuenta, vel cognita non ſunt. nonne ergo optima non eſſe ſemper debuiſti? non maximè non placere Altiſſimo potuiſti? vulneraſti igitur inter omnes creaturas feliciſſimè, et grauiſſimè, vulneraſti cor Dei Patris cum eſſes paruula, et vix concepta, quid nata? in uno oculorum tuorum, in uno actu amoris eminentiſſimi, et altiſſimi, in uno actu humilitatis, cognitionisque tui profundiſſima rapuiſti, abſtuliſti Filium ex ſinu Patris, vulneraſti cor Altiſſimi; in te deſcendit Spiritus Sanctus in plenitudine, quia vulneraſti eum, in te traxiſti, quia Altiſſimo cum eſſes paruula, et in ſupremo perfectionis, gloriae, ac dignitatum faſtigio humillima, et in profundiſſima humilitate ſemper omni gloria, ac Sanctitate pleniſſima placuiſti. Sed quam beatè, quam feliciter? utique feliciſſimè, quia beatiſſimè, ſic enim placuiſti, ut cum nec Deus Optimus ſine cauſa offendi, nec tu eum offendere, ſicque nec diſplicere deinceps unquam poſſes. Placuerunt multi, ſed quam feliciter ad tempus placuerunt, tam infeliciter in tempore diſplicuerunt, quia offenderunt; at tanta mala, quia offendere non poteras, locum in te nullum inuenerunt. Fuiſti prudentiſſima nullis errorum praecipitiis in peccatum aliquod deiici potuiſti; eras ſapientiae lumine, eras ſole iuſtitiae,